

89.
D. F. G.
DISSERTATIO MEDICA,
DE

**SPIGELIA
ANTHELMIA,**

QUAM
CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDIC.
IN ILLUSTR. LYCEO UPSALIENSI

Sub PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI

**DN. DOCT. CAROLI
LINNÆI,**

EQVITIS AURATI DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:ITIS ARCHIATRI,
MED. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET ORD.
ACAD. UPS. HOLM. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.
LONDIN. MON-PÉL. TOLOS. FLORENT. SOCII,

PRO GRADU DOCTORIS

AD PUBLICUM EXAMEN DEFERT

JOH. GEORG. COLLIANDER,

PROVING. NYSLOTT. MED. ORD.
SMOLANDUS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. D. XXII. MARTII,
ANNI MDCCLVIII.

H. A. & P. M. S.

UPSALIÆ, Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typog.

REGII COLLE
P R Æ S I D I,
NOBILISSIMO AT

DN. DOCT. ABRAHA

NEC
ASSESSO

NOBILISSIMIS ET

DN. DOCT. MARTINO REEF,

S:Æ R:Æ M:Æ MED. ORD.

DN. DOCT. ZACH. STRANDBERG,

Civit. Holm. & Orphanotrophii Reg. MED. ORD.

DN. DOCT. JOH. BERGSTRAHL,

MED. ad Class. Reg. Holm.

UT

DN. DOCT. LAURENT.

Reg. Coll. Med.

PATRONIS

*D*issertationem hancce, omni, qua

AU

GII MEDICI
ARCHIATRO,
QUE CELEBERRIMO,
MO BÆCK,

NON
RIBUS

EXPERIENTISSIMIS,

Dn. Doct. MICH. KAMMECKER,
MED. AULICO.

Dn. Doct. ERICO ELFF,
PROF. Artis Obstetr. INTEND. Nosoc. Holm.

Dn. Doct. JOH. ANDR. DARELIO,
PRACT. Holm,

ET

B A L K,

SYNDIC.

HONORATISSIMIS.

par est, animi pietate, offert

CTOR.



D. D.

I. VERMES.



nter varias, quæ corpora mortalium affligunt, calamitatum causas, non infimum sane locum occupant VERMES, quippe qui in tubo hominum intestinali sedem suam habentes ibique nutriti non pauca nutritiis suis, de iis licet bene meritis, obtrudunt mala. Hi quomodo generentur atque prognascantur in corpore humano, dum adhuc admodum sunt exigui, res est altioris indaginis; interim non dubitandum, quin e domiciliis suis, humo scilicet & limo, per aquam, qua abluuntur vasa nostra cibaria, vel etiam cum aquæ potu corpori ingurgitentur. Errant enim qui putant hos generari a *dulcibus*, cum generatio non detur æquivoca; neque *muscarum* ovulis suos debent natales, prout multi crediderunt; sunt enim vermes distincti, non vero insecta aut insectorum larvæ. Vermes in corpore humano triplicis vulgo generis sunt, scilicet I:mo ASCARIDES *vermiculares*. *Syst. nat.* 648. qui
mialmi

minimi in intestinis plerumque crassioribus hærent & in locis paludosis vulgo reperiuntur.

II:do LUMBRICI *terrestres*. *Syst. Nat.* 648., Tere-tes vulgo dicti, qui in intestinis hospitantur tenuioribus & ejusdem generis sunt & speciei ac lumbrici illi, qui terram humosam inhabitant, licet annulo destituti sint evidentiori intra corpus humanum adolescentes, & colore magis candidi, quam terrestres. Hinc multi eam fo-verunt opinionem, quasi distincti hi essent specie; rem autem ita se non habere vel inde satis evincitur, quia am-bo gaudet centum circiter incisuris, & ad tria latera cujusvis incisuræ aculeo retrorsum verso.

III:io TAENIÆ, *Syst. Nat.* 819. quæ tubum intesti-nalem sæpe occupant, crescunt haud secus ac Sertularia no-vis quotidie articulis, & ad stupendam augentur longitu-dinem.

Auctores, qui crediderunt se distinctum apud hos reperiisse caput, fallunt & falluntur; quis enim unquam caput in vermibus distinctum vidit? *)

His quartus quoque addi potest vermis, ASCARIS *Lumbricoides* *Syst. Nat.* 648., qui quidem, qua magni-tudinem, lumbrici faciem gerit, qua formam vero in eo omnino similis est ascaridi, quod in utraque parte, qua terminatur, acuminatus sit itidem satis vulgaris.

II. SYMPTOMATA.

Hi vermes infantibus voracioribus, & frequentiori motu non minus, quam firmioribus destitutis intestinis præcipue sunt familiares: ratios vero apud adultos, im-primis laboriosos, & vino, alliaceis, acrioribus ac du-rrioribus indulgentes cibus. Est enim *vinum* quam maxi-me inimicum lumbricis; si enim effundatur in terram, quam

*) Confr. *Amoen. Acad.* Tom. II. pag. 59.

quam inhabitant, e cavernis suis prorepunt & fugiunt. Russi & Turcæ, qui *Alliis* mirum quantum delectantur, & cum liberis suis hasce delicias communicant, vermibus rarius infestantur. Creditur vulgo *Saccharum* generationi vermium favere, quod tamen, teste experientia, in lumbricos terrestres sparsum, eos mox necat. Quemadmodum jam vermes e terra prorepentes agiliores fiunt & sibi magis prospiciunt sub pluvia, nebulis, procellis & autumno; ita etiam intra corpus humanum nutritoribus suis majorem, ubi ea est tempestas, creant molestiam, quam alia. *) Maximam vero circa novilunia & plenilunia corpori humano inferunt vim, adeo ut instantes paroxysmos in infantibus, vermibus gravidis, haud raro præfagire possimus. *Ascarides* continua sua reptatione & rosione in intestinis crassioribus, ac recto imprimis, non minimam corpori pariunt molestiam. *Lumbrici* aculeis suis reclinatis in intestinis sursum & deorsum volventes membranas eorum admodum sensiles pungunt, lacerant, imo ipsa haud raro perforant intestina. *Tenia* magnam partem alimentorum consumit, & e quovis articulo exiguum emittit mucronem, cum quo, quam primum se moverit, tunicam intestinorum nerveam vellicando & rodendo, horrenda excitat symptomata. Et tali ratione vermes non solum *Tormina*, *Convulsiones*, *Epilepsiam*, *Bulimum*, *Amentiam*, *Leucorrhœam* & *Diarrhœam*, verum etiam *Hysteriam*, *Cardialgiam*, *Hypochondriasin*, *Febres* & sexcenta alia excitant mala; adeo ut, licet vermes non sint morbus, plurium tamen morborum causam esse extra omnem dubitationis aleam jam dudum positum sit. Homine jejuno, & consequenter alimento vermibus deficiente, dira plane efficiunt symptomata, quæ mitiora evadunt post sumtum

*) Hoffm. Syst. Med. Tom. IV, pag. 38.

sumtum cibum. Hoc etiam ansam præbuit Medicis ea ipsa hora propinandi Anthelmintica, qua novum cibum accipere consueverunt vermes, & simul interdicens ægro- tantibus per horam cibo, quo vermes, quidquid ipsis obvene- rit devorare coacti, ab eo necentur. Et cum dulcia ac la- cticia in deliciis habere credantur vermes, anthelmin- tica cum dulcibus vel lacticiis rite maritata offerre in usu fuit, ut vel hoc modo venenum ipsis ingeratur.

III. ANTHELMINTICA.

Cum jam hi sæpius nominati vermes ab omni ævo tot morborum turbas in corpore humano conciverint, semper solliciti fuerunt Medici de valentissimis ad hos profligandos excogitandis remediis. Hinc nostri temporis Materia Medica, assiduis a per plurimis institutis ex- perimentis, adeo abundat ANTHELMINTICIS, ut vix ulla detur pars, quæ majori instructa sit copia. Nihilo tamen minus, quotidiana, proh! dolor, testante expe- rientia, omnium horum remediorum usus perniciosam hanc vermium progeniem non prorsus extirpare valuit. Præcipua horum remediorum, quæ mihi saltem innotue- runt, recensere, a scopo non alienum fore crediderim.

Imo AMARA.

Santonici semina, vulgo semina contra vermes dicta, a multis retro temporibus celebra.

Artemisæ Santonicæ semina, a quibus parum differunt *Santolinæ semina*.

Tanaceti semina, syrupus, vel conserva ex foliis & sum- mitatibus.

Abrotani Herba.

Carduus Benedictus,

Centaurium minus.

Gentiana.

Amygdalæ amaræ.

Fel

Fel Tauri inspissatus.

Arthanite unguentum.

Aristolochiæ radix.

Absinthium.

Dictamni albi radix.

Trifolium aquaticum.

II:do PURGANTIA, quæ sæpe non tantum expellunt vermes, sed etiam occidunt, e. g.

Rhabarbarum,

Aloè.

Gratiola.

Veratri radix.

Nigelle semina.

Hellebori folia.

Ebuli Herbæ oleum coctum.

Colocynthidis pulvis cum felle bovis & oleo absinthii.

Cornachini pulvis ad Scrup. II.

III:to FRAGRANTIA, ut

Allium.

Scordium.

Ruta.

Castoreum.

Galbanum.

Camphora.

Liquor C. C.

Myrrha.

Citreorum omnium cortex crassior.

Ghenopodii anthelmintici semina ad Unc. I.

Scrophulariæ semina ad Drachm. I.

IV. LAPIDEUM REGNUM etiam varia porrigit.

Stanni Anglicani calcinati cineres.

Mercurius coctus cum aqua & vino, vel agitatus in cerevisia secundaria, imprimis

Aethiops

Aethiops mineralis cum vel sine igne.

Plumbum in aqua *Portulacæ* octies exstinctum.

Ferri limatura, sed imprimis *Vitriolum martis* ad gr. VIII.

Sulphuris flores cum cerevisia secundaria.

Muria liquida e carne salita cochl. I vel alterum.

Corallina pulverisata.

C. C. ustum.

SPECIFICA etjam varia alia habentur, e. g.

Petroleum unicum & primum contra *Teniam*, teste

Hasselquist.

Juglandis aridæ comestæ *tenias* adeo certe *mediolanensibus* expellunt, ut nihil præstantius. *Berens*.

Sophiæ semina *Cinæ* feminibus præstantiora esse testatur

C. Hoffm.

Saponariæ pulverem expellere *ascarides* testatur *Zwenckfeldt*.

Filicis feminae radix pulverisata ad Drachm. II.

Hyperici florum *Tinctura* aut semina contusa, *Bartholini* encomio.

Graminis radix pulverisata tanquam specificum a *Boyleo* commendatur.

Liquiritiæ radice decoctum, teste *Cælio Aureliano*, & idem cum melle mixtum & lacte dulci propinatum apud *Boerhaviu* obtinuit.

Sabinæ infusum & pulvis commendatur a *Rajo*.

Mori radice cortex in decocto a *Sennerto* laudatur.

Zedoariæ radix a nostratibus felici cum successu sæpe propinatur.

Emulæ radix, teste *Rondeletio*, aut radice recentis succus, teste *Prevotio*, egregium præstat auxilium.

Hæc & alia remedia, tempore prandii aut cœnæ cum lacticiis assumpta, purgantibus simul adhibitis & retardato cibo, felices subinde exseruerunt effectus. Horum vero omnium remediorum vim non raro illuserunt vermes, adeo ut felicem curationis scopum vix ac ne vix quidem ferire potuerint Medici, quo se verterent nescien-

tes. Abscondunt enim sese vermes intra plicas & anfractus intestinorum, adeo ut virtutem suam nativam prius amiserint remedia, quam ad nidulos eorum penetrare noxasque illis inferre potuerint.

Ante aliquot annos per totum orbem Europæum celebrabatur arcanum *Herdensvanfii* tanquam certissimum medicamen ad vermes propellendos, doses autem magno vènierunt. Et cum idem publicæ lucis facere noluerit sine magno præmio, quod nemo præstare voluit, cum auctore exspirasse dicitur. Hoc non sine summo ægroantium emolumento etjam contra ipsam tæniam usurpatum confirmarunt Parisienses, ingredientium hujus remedii & præparationis licet ignari. Illustris quidem *D. Sauvages*, in literis ad Nob. D. Præf. missis, hunc pulverem ex G. Gutta gr. XV. & Helleboro nigro gr. V. consistere subolfecit. Cum igitur abominabiles hi vermes non solum infantes, verum etjam ætate provecctos molestissimis excrucient symptomatibus, imo non raro necent, omnem lapidem movere debent Medici, ut talis excogitetur medela, qua tot morborum causiæ obviam eatur.

IV. SPECIFICUM.

D. D. Brown in *Historia* sua naturali *Jamaicæ* remedium in infantibus verminantibus, multiplici vice expertum, eventu semper voto respondente, non ita pridem detexit, quod tantum abest, ut inscitæ nebulis involvatur, ut potius, quam primum fieri potest, in album officinalium recipi debeat, præsertim cum in plerisque hortis *Jamaicæ*, ob splendidos, quos de se spargit, virium radios, in usum Pharmaceuticum hodie coli inceperit. Hunc etjam ego respexi finem, occasionem mihi suppetitante ipsa Planta, quæ in Horto Academico Upsaliensi præterito anno cum flore & fructu oculorum meorum obtutui subjiciebatur, *Spigeliæ*, puta, *Antbelmiam*. Equidem probe perspexi, quod hæc planta tantum apud nos crescat in terra prægnanti, non sine magna adhibita cura

cura & molestia, adeo ut dubitem, num quantitatem sufficientem Patriæ per horticulturam adipisci possimus? Qua propter svaderem potius, ut a Jamaica, ubi seritur, & ab insulis Gallicis in America, Domingo & Martinica, vel etjam e Brasilia, ubi sponte crescit, petatur. Ut vero divinum hoc Medicamentum clarius innotescat Reipublicæ Medicæ, & ne quid pro quo sumatur, descriptionem ejus primum tradam talem, qualem calamo eandem concepi, dum adhuc floresceret: deinde proponam ea, quæ Cel. D. D. Brown, cui eximium hoc medicamen ad vermes debellandos in acceptis referendum est, in Historia sua Naturali Jamaicæ, Anglice consarcinata, orbi medico propinavit.

V. ADUMBRATIO.

RADIX fibrosa, diffusa, parva, annua.

CAULIS herbaceus, erectus, brachiatus, palmaris seu spithameus, teres, glaber, superne parum crassior.

FOLIA *infima* duo opposita, e cotyledonibus enata, lanceolata, obtusa, lævia, subpetiolata, marcescentia.

Folia intermedia, seu ad secundum articulum caulis opposita, ovato-lanceolata, subpetiolata, integerrima, nervis alternis exarata, lævia, infimis triplo majora.

Folia summa quaterna s. cruciata terminalia, sessilia, patentia, ovata & ovato-oblonga, integerrima, lævia, sensim acuminata, nervis subtus exarata; duo horum interiora opposita intermediis duplo latiora.

RAMI oppositi, ex alis infimis & intermediis solitarii, unico articulo constantes, longitudine caulis, nudi, patentis, terminati uti caulis, foliis quatuor & fructificatione.

SPICA terminalis, secunda, brevis, simplex, floribus adscendentibus, sessilibus atque bracteis plurimis.

CALYX *Perianthium* quinquepartitum, lineare, erectum, Corolla triplo brevius.

COROLLA monopetala, infundibuliformis, alba, limbo brevissimo, quinquesido, patulo: lobis ovatis, interne

tribus stribis purpurascens exarato. Hæc corolla apud nos non dehiscit.

STAMINA Filamenta quinque, capillaria, tubo inserta, eoque breviora.

Antheræ oblongæ, erectæ, luteæ.

PISTILLUM Germen didymum. Stylus simplex, filiformis, longitudine tubi. Stigmata duo, acuta, erecta.

PERICARPIUM. Capsula didyma, ex duobus globis ad medium inferne connatis, muricata.

SPICÆ quatuor inferiores secundæ, patentes, caulem terminant, & spicæ primordiariæ circumstant, quarum duæ, quæ intra folia terminalia inferiora, sunt inferiores, & ad basin bracteis duabus oppositis trinerviis instructæ.

Pertinet planta ad *Pentandriam Monogyniam* & Generis character habetur in *Gen. Plant.* 192. *); Ordine naturali *Stellatis* videtur accedere.

SPIGELIA (*Anthemnia*) *Spec. plant.* 149.

Anthemnia quadrifolia, spicis terminalibus & e centro frondis. *Brown. jam.* 156. t. 37. *Woorm-grass.*

Spigelia ramis indivisis, foliis terminalibus, verticillatis. *Büttneri.* **)

Arapa-

*) LOEFLINGH character genericus in *Americæ Cumana*, ubi sponte crescit, confectus.

CAL. *Perianthium* monophyllum, tubulatum, apice 5 dentatum.

COR. monopetala; tubulata, 5 plicata, calyce longior. Tubus cylindricus: calycis longitudine. Limbus campanulatus, plicatus 5 dentatus; dentibus acutis, ovatis, erectis.

STAM. Filamenta 5, capillaria, ad apicem tubi limbo inferra, limbi medii longitudinis, apice paullo incurva. Antheræ lineares, supra basin filamentis affixæ.

PIST. Germen subrotundum, parvum. Stylus filiformis, longitudine staminum, medio sursum incrassatus, subulatus. Stigma acutum.

PER. Capsula didyma s. 2. coalitæ, subrotundæ, uniloculares, univalves.

SEM. nonnulla (8, 9), angulata, in orbem imbricata supra receptaculum, foras convexa margine acuto subrotundo crenulato, intus pro varia compressione seminum angulis 3, 4, 5 notata.

***) *Cl. Büttnerum de hac tractatum edidisse audiui, obtinere autem nunquam potui.*

Arapabacà quadrifolia, fructu testiculato. *Plum. gen. 11.*
Barr. æquin. 15.

Arapabaca brasiliensibus *Marcgr. bras. 34. t. 35. **) Bra-
 zeel-Parfly. *Pet. Gaz.*

VI. HISTORIA A. BROWNII.

Planta hæc germinat sponte in omni fere parte Au-
 stralis Americæ, & colitur jam in singulis hortis Jamaicae.
 Crescit *Radice* tenui, pyramidata, fibris undiquaque in-
 structa, & adolescit *Caulē* recto, tereti, flavescente, qui
 quo altior, eo crassior, scilicet ubi quinque ad tredecim
 pollices longus evaserit, quæ justa ejus est longitudo; Cau-
 lis emittit duos, quatuor vel sex *ramos* laterales, opposi-
 tos, qui, uti caulis, instructi sunt *foliis* quatuor ovatis,
 acutis, subæqualibus, versus apicem in formam crucis dis-
 positis. E centro foliorum erumpunt una binæ vel plures
spicæ secundæ, duorum vel trium pollicum longitudine.
 Vegetabile hoc diu usitatum fuit a Nigritis Indisque, qui
 primi *virtutem* ejus eruerunt, & nomen sortitum est ab
 efficacia, qua pollet, singulari in vermibus destruendis,
 quos, me teste, ingenti cum numero experimentorum,
 tanta vi atque successu destruit, ut vix aliud medicamen-
 simplex æquali gaudeat efficacia in morbo aliquo debellan-
 do, atque Spigelia in eo, qui a vermibus his procedit, im-
 primis si febris seu convulsiones adsint. Methodus hoc
 præparandi medicamentum sequens est, scilicet: *Recipe*
 Herbæ,

*) *Marcgr. l. c.* ARAPABACA brasiliensibus dicitur planta, in sesqui-
 pedalem altitudinem adsurgit, *Caulē* tereti, viridi, cavo, & vix duo fo-
 lia aut duos ramulos ad latera habente; In summitate tamen *Caulis* duo,
 tria s. quatuor, fere semper, *folia* sunt posita, plantaginis facie, nervo-
 sa, in orbem disposita & crucem effigurantia videntur, atque inter hæc ali-
 quot *ramuli* surrecti, duos s. tres digitos longi, cum flosculis oblongis,
 dilute ex albo purpurascensibus, qui quinque foliis constant spicam po-
 sitis. Post floris autem occasum enascuntur globuli s. *Capsulæ* rotundæ, Co-
 riandri seminis magnitudine, in quibus continetur *Semen* exile, subrotun-
 dum; nigrum, papaveris magnitudine & figura. *Radix* illius est parva,
 alba, filamentosa, habetque odorem radicis Petroselinii,

Herbæ, five recentis lectæ, seu siccæ, manipulos duos, coque leni igne in aqua libræ geminæ ad dimidii evaporationem: colaturæ residuæ adde pauxillum sacchari & succi Limoniorum ad gratum saporem & ad tollendam visciditatem glutinosam. Hic obiter observandum, quod, etsi decoctum nonnunquam clarificetur & edulcoretur, nihilo tamen minus æquali gaudeat efficacia, adeoque syrupo immisceri queat.

Methodus vulgaris hoc propinandi medicamentum est sequens: Homini adulto detur libra, horulæ spatio antequam cubitum itur, & quantitas proportionata subjecto singulo teneriori & juniore, quod semel repetatur singulis 24 horis per biduum vel triduum. Sed si larga ejusmodi dosis reddat operationem nimis violentam, & usus ejus periculosus videatur methodum sequentem, utpote minus periculosam, & æque efficacem commendabo. Des circiter uncias quatuor adulto pro dosi prima, & circiter duas vel tres quovis sexhorio consecutivo, si permittit qualitas ejus. Sed constitutioni teneriori repetatur solum quavis hora decima vel duodecima: hoc continuetur per spatium 36 vel 48 horarum, dum dosis gemina repetatur: &, post plenam dosis sumptæ operationem, juvetur nobili quodam purgante, quale est infusum Sennæ seu Rhabarbari mannati &c. Medicamentum hoc somnum procurat æque certum & ferme eodem gradu ac opium: sed oculi, post somnolentum effectum, sunt distenti, fulgidi & scintillantes, quemadmodum esse solent ante eruptionem variolarum & morbillorum. Brevis post dosin primam administratam pulsus evadit regularis; febris decrescit; convulsiones, si quæ, diminuuntur; symptomata omnia mitigantur; vermes magna quantitate emittuntur, si non prius, certe post usum subsequenter purgantis; sæpe circiter centum uno tempore abeunt: sed quando pauci, iique vivi removentur, quod raro fieri solet, dosis iteranda, quæ vix optato destituitur effectu. Ego medicamentum hoc inefficax nondum deprehen-

prehendi, si ulla probabilitas successus adfuit, quin potius utile inveni, dum nulla ratio id exspectandi erat.

FORMULA itaque hæc erit

Rec. H:b Spigeliæ Manip. II.
 coque in Aqua font. Libr. II.
 colaturæ exhibe Libr. I.
 cui adde
 Sacchar. s. Succi Limon. q. s.
 pro grato sapore.

S. Dosis Unc. IV. (pro adulto) repetenda
 6 s. 12 quavis hora, per triduum.

VII. D. LINING DE ANTHELMIA.

De cetero ex literis, a D. *John Lining* Carolistadii in Carolina ad D. Robert Whytt missis, & in *Act. Ed. 1754. pag. 386.* relatis, hujus plantæ vis satis animadverti potest.

Indian pink crescit in Carolina, Radix est anthelmintica & Indianis prius, quam Anglis fuit cognita. Præscribitur hæc vel in pulvere vel etjam in infuso aquoso, sed pulvis præstantiorem exserit effectum. Additur Rhabarbarum vel aliud quoddam medicamentum laxans. Puero trienni sufficiunt gr. XX. in infuso vel XII. in substantia, & hæc dosis mane & vesperi per aliquot dies repetenda. Eam hoc præ aliis medicamentis anthelminticis habet prærogativam, quod minus nausæ excitet, & in febribus, tanquam minus calefaciens, præscribi possit. Infantibus facillime propinatur in infuso addito pauxillo lactis sub nomine potus Theæ. Licet vermes non semper ejiciat, symptomata tamen semper minuuntur. Puero nigrîtæ quadrienni, febre a vermibus excitata laboranti, septimo die sequentem auctor propinavit mixturam:

Rec. Aquæ Theriac. Drachm. II.
 Font. Unc. II. & sem.
 Pulv. rad. Anthelm.
 Tartar. regenerat. ana Scrup. I.
 Sacchar. q. s.

M. sumat cochlear unum secunda quaque hora. Hæc

Hæc repetebatur die sequenti, unde post meridiem triginta lumbrici teretes expulsi sunt & febris cessavit. Repetebatur quoque tertio die post, unde iterum novem ejecti sunt.



Nimia dosis vertiginem excitat cum spasms supra, infra & in ipsis oculis. Musculi adductores videntur esse affecti, quod ex irregulari eorum actione patet. Hæc symptomata vel sponte evanescent, vel aromatibus, croco aut spirituosis removentur. Qua propter guttis aliquot olei cujusdam essentialis medicamento suo addere solet auctor. Existimat tandem hoc remedium, in medicina receptum, multorum hominum vitam a præcoci fato sine dubio liberaturum, additque hoc per plures annos, non solum a Practicis, sed etjam ab ipso vulgo fuisse in usu *).

VIII. CONCLUSIO.

Qua propter, cum observationes testentur novum hoc remedium omnibus aliis anthelminticis, in hunc usque diem inventis, inque officinis nostris receptis, palmam præripere, in id omni studio incumbendum est Medicis, ut tam specificum tamque efficax remedium contra vermes in officinas Pharmacopœorum introducendum curent. Quod si hoc fieret, non dubitandum, quin multi, vermibus graviter affecti cives, e mortis faucibus eriperentur, & scientiæ medicæ adhuc major adfulgeret lux atque splendor.

*) Mirum mihi videtur, quod auctor dicit solam radicem in medicina usurpari, cum tamen D. Brown totam herbam sumi jubeat, præcipue cum planta sit annua, & ipsa radix quod ad externam faciem admodum exigua ac vilis; neque aliæ radices annuæ in medicina sunt in usu; vis enim earum ad ipsam plantam exurgit. Anne credam hanc auctoris Anthelmiam esse diversam ab ea, cujus mentionem facit D. Brown?





Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries.

